

70. (17)  
DISSERTATIO

DE VIRIBUS ET USU  
ATROPAE BELLADONNAE

QUAM

VENIA EXP. FAC. MED. UPSAL.

PRÆSIDE

CAROL. P. THUNBERG

COMMENDATORE REG. ORD. DE WASA,

MED. DOCT. PROF. MED. ET BOT. REG. ET ORD. REG. COLL. SANIT. MEMB.  
HON. ACAD. CÆSAR. PETROPOL. ET NAT. CURIOS. REG. SCIENT. LOND. HOLM.  
AGRIC. MED. ET EVANG. SOCIET. OECON. UPSAL. PATR. HOIM. ET CIV.  
OECON. FINL. HONOR. WERMEL. WESTMAN. ET ÖREBR. BEROL.  
NAT. SCRUT. PARIS. HAFN. MOSCOU. ET HALENS. HIST. NAT. GORENK. PHILAD.  
LUND. HARLEM. AMSTELD. OECON. ET INST. LITT. ZELAND. NIDROSIENS.  
TURICENS. IENENS. LINN. LONDIN. REG. SCIENT. PHYS. ET PHYTOGRAPH. GÖT-  
TINGENS. MONACH. ERLANG. WETTER. NANCIENS. MED. PARIS. EMUL.  
MONSPEL. MED. MATRITENS. MEDIC. ET NAT. STUDIOS. EDIMBURG. ET  
PETROP. MEDICO CHIR. MEMBRO NEC NON ACAD. SCIENT. PARIS. ET INSTI-  
TUT. NATION. MONSSELIENS. AGRICULT. PARIS. MEDIC. LONDIN SCANDINAV.  
FLORENTIN. ET BATAVIN. IND. OR. CORRESPOND.

PRO GRADU MEDICO

PUBLICÆ SUBMITTIT CENSURÆ.

AUCTOR

OLAVUS LINDBOM

STIP. REG. GOTHOBURGENSIS.

IN AUDIT. BOTANICO D. X DEC. MDCCCXVII.

H. S.

UPSALIÆ

TYPIS ZEIPPEL ET PALMBLAD

LIBRARY  
NEW YORK  
BOTANICAL  
GARDEN

VIRO ILLUSTR

D. NO HUG. HERM. BÖCKER

MED. DOCT. CHIR. MAG. PROF. REG. MED. PRIMAR.

NOSOC. REG. ORD. SERAPH. HOLM.

REG. COLL. SANIT. MEMBRO,

S A C R U M

volut, debuit

AUCTOR.

DE VIRIBUS ET USU  
ATROPAE BELLADONNAE.

---

**I**nter medicamina, quæ recentiori ætate animadversionem excitarunt Medicorum, insignem sibi vindicat locum Belladonna, qua quidem haud scio an melius ulla horum famam partam meruerint; hanc enim ad præstantissima remedia, quibus hujus ævi experientia materiam medicam auxerit, suo jure esse referendam, satis probant, quæ peritissimi veracissimique medici instituerunt, felicissima experimenta. Neque tamen integra mansit hæc ejus laus; nam quoniam ad medicamenta sic dicta heroica fuit relata, huic idem, quod illis omnibus, fatum fuit, tamquam universalia modo laudari atque usurpari, modo quasi inutilia & nociva vituperari & rejici. Si vero æquius has sibi contrarias sententias examinaveris, ad præcocia ista judicia, quæ scientiæ sæpius nocuerint, ejusque alumnos perturbaverint, facile referendas esse dixeris. Nam quemadmodum medela morbi cujusdam, benignæ naturæ ope levati, interdum, sed falso, huic plantæ fuit adscripta; ita etiam haud sine ratione putamus, si quando hoc remedium minus successerit, hoc præcipue in causa esse, quod modo ad morbos curandos incurabiles usurpata fuerit, modo quia in ea adhibenda vis ejus nocendi non fuerit considerata, denique quod, hanc vim justo plus metuendo, parcius quam quod res posceret, fuerit usurpata. — Belladonna igitur recte adhibitæ sine dubio magni est momenti remedium, experimentorumque, quæ annis proxime præterlapsis ad virtutem ejus medicam explorandam facta sunt, & quas ex iis elicere voluerunt, consequentiarum cognitio magno usui erit medico practico.

Hac re adductus, ut Constitutionibus Academicis satisfaciat, mihi sumsi describendam vim & usum Belladonnæ tamquam materiam hujus Dissertationis, quam examinandam tibi, Lector benigne! omni, qua par est, modestia offero, nullus dubitans, quin huic meo periculo, necessitate suscepto, conscientia deficientium virium perducto, æquus facilisque censor sis adfuturus.

*Belladonna*, staminibus 5, stylo unico & fructu baccato, in Systemate sexuali ab illustr. *Linnaeo* ad *Atropæ* genus fuit relata, atque ab illustr. *Jussieuo* ad ordinem naturalem *Solanacearum*, qui genera omnia & singula, plus minus venenata, in nervos vi sua nociva agentia, cerebrique functiones animales turbantia, complectitur. — Crescit fere ubique in Europæ australioris sylvis montosis, inque hortis Sueciæ occurrit culta, fere indigena.

Antiquitus hæc planta fuit cognita; *Mandragoræ*, quarum species erat, multum ab antiquis in medicina usurpatæ sunt. Jam apud *Theophrastum* a), *Plinium* b) & *Dioscoridem* c) descriptiones ejus inveniri crediderunt, quas vero difficile erit probatu, in hanc plantam vere quadrare. Auctorum veteriorum, qui hanc rem tractarunt, illustrissimi sunt *Fuchsius*, *Mathiolus* d), *Gesnerus*, *Rayus* e), *Parkinson*, *Hoffmann*, *Sica-*

a) *Historia plantarum* Lib. VI. Cap. 2.

b) *Hist. naturalis*. Lib. XXII: Cap. 13.

c) *Libror. de Materia medica* IV. Cap. 13.

d) *Neu Kräuterbuch*. Prag. 1563.

e) *Historia Plantarum*. Vol. I.

lius f), Gettinger g), Spielman h), Daries i), Gmelin k), Rüling, Münch l), Ludwig m) &c, & recentiorum, qui de materia medica scripserunt, a quibus plenius est descripta, Cullen n), Murray o), Gren p), Jahn q), Hecker r), Horn s), Sprengel t) &c., ex quorum scriptis primarium comprehendere volui.

f) Diatribe de Belladonna. Jenæ 1724.

g) Diss. de Belladonna, tamquam specifico in cancro &c. Hal. 1739.

h) Diss. de vegetabilibus venenatis Alsatiæ. Argent. 1764.

i) Dissertatio de Belladonna. Lipsiæ 1774.

k) Allg. Geschichte der Pflanzengifte. Nürnberg, 1777. *Ejusd.* Abhandlung von giftigen Gewächsen, die in Deutschland &c. wild wachsen. Ulm. 1775. p. 118. —

l) Dissertatio de Belladonna, efficaci in rabie canina remedio. Goettingæ. 1781.

*Ejusd.* Abhandlung von der Belladonna und ihrer Anwendung, besonders zur Vorbeugung und Heilung der Wuth, nach dem Bisse von tollen Hunden. Göttingen. 1785.

m) De Belladonna, ejusque usu in Vesania. Jenæ 1789.

n) Abhandlung über die Mat. medica, übersetzt von Hahnemann. Leipzlg 1790.

o) Apparatus Medicamentum. Vol. 1.

p) Handbuch der Pharmakologie 3ter Aufl. 1 Band. 1813.

q) Praktische Mat. medica. Erfurt. 1814.

r) Kunst die Krankheiten der Menschen zu heilen. 3ter Theil

s) Handbuch der practischen Arzneymittellehre. Berlin 1805.

t) Institutiones medicæ T. V. Lipsiæ 1816.

Belladonna, in Italia ita denominata, partim ex pulchro baccarum colore, partim ex eo, quod ut cosmeticum adhibeatur, in omnibus partibus adspēctū est lurido & sordido, qui suspēctam reddit. Omnes hujus plantæ partes, quæ statim insipidum quendam, dein vero acerbum arguunt saporem odoremque fere nauseosum, eandem omnino, diverso licet gradu, materiam venenosam continere videntur; qualitates chemicas hujus materiæ explorare conatus est *Vauquelinus*. Secundum analysin, quam instituit, succi Belladonnæ, idem continet: 1:0 substantiam animale[m], quæ in calore ex parte inarescit, ex parte vero in succo soluta manet propter acidum aceticum liberum, quod in eo continetur; 2:0 plures sales cum basibus kalinis, ut sulphas, nitras, murias, superoxalas & acetas kalicum; 3:0 substantiam saporis amari & nauseosi, in spiritu vini solubilem, cum principio coriario junctam solvi nesciam, e qua ignis ammonium elicit. Huic substantiæ, quæ ad acidum borussicum accedere videtur, forsitan adscribenda est vis nociva & mortifera plantæ;

Effectus Belladonnæ in corpus humanum diversi sunt ex diversis plantæ partibus, atque ex majore minoreve quantitate, in qua adhibeatur. In majore dosi sumta affert ebrietatem, vertiginem, sitim vehementem, nauseam cum nisu vomendi inani, deletam sensibilitatem ventriculi & intestinorum, deglutitionem difficile[m], pupulam dilatatam immobilemque cum coecitate temporaria, delirium interdum in furorem abiens, cum stridore dentium ac convulsionibus, paralytin cum dissolutione humorum, denique vero mortem *u*). Cadavera eorum, qui Belladonna interierunt, cito putrescunt, & in superficie eorum, ut etiam in ventriculo, intestinis, hepate & omento, apparent

---

*u*) Quantum in emeticis, laxantibus, aceto & involventibus, Belladonna vitiose ingesta, solatium, vide Münch. l. c. Murray. l. c. Hufel. Journal Bd. XI. St. 3. p. 126 &c. —

sæpe vestigia inflammationis & gangrænæ; vasa etiam cerebrû sanguine valde turgescencia plerumque inveniuntur observatores. In minore vero dosi efficit ariditatem pharyngis, anxietatem, dilatationem pupillæ, visum hebetiorem, vertiginem & soporem, promovet sudorem & excretiones alvinas, majorem quoque, rarius licet, excretionem urinæ. Ratio igitur, qua cerebrum ac nervos afficit analogâ esse videtur cum narcoticorum in genere; sed præterea in systema vasculare generatim, atque vasorum exhalantium speciatim, vim valde stimulantem exercere videtur, ex qua ejus propria vi explicari possint transpiratio major, suppuratio benignior, se. & excretiones uberriones, quas usus ejus afferre videtur. Sine dubio huic ejus compositæ, cum illa Opii quodammodo convenienti, agendi rationi adscribendæ sunt utilitates eximie, quas, imprimis in morbis nervosi & lymphatici systematis, ex usu Belladonnæ profectas esse vidimus. Ex hac etiam ejus vi stimulante fieri putamus, ut constitutionibus maceris, laxis, phlegmaticis tam idoneum sit remedium, cum e contrario habitus stricus & plethoricus usum ejusdem semper prohibet.

Omnès hujus plantæ partes, præter semina, ut remedia sunt usurpatæ, & ex omnibus, licet majore minoreve gradu, felices effectus comperti. Medici antiquiores, imprimis *Mayerne* v) & *Gessner* x), baccis, forma decocti aut syrupi, usi sunt, sed postea nulla, quod sciam, earum experimenta facta sunt. Tempore posteriore radix tantum & folia adhibita sunt, imprimis vero illa, quippe quæ his efficacia præstat; si vero dosis eorum aucta fuerit, idem prorsus, quod radix, efficiunt. Folia, mox antequam planta florescit, sunt colligenda, radix vero verno tempore, ex planta bienni aut trienni, ea-

v) Prax. med. syntagm. alt. p. 136.

x) Epist. p. 34.

que sponte crescente potius, quam culta; ut vim suam conservent, diligenter siccentur & separatim adserventur.

Optima Belladonnæ adhibendi methodus, sine dubio ea est, quæ a parvis incipiatur dosibus, quæ nisi intercesserint vertigo aliave turbantia symptomata, paullatim augmentur usque dum bonus in morbum effectus apparuerit. Dosis vero, a qua incipiendum, adultis est radicis 1 — 3 gr., herbæ 2 — 5 gr., infantibus  $\frac{1}{8}$  — 1 gr., ratione ætatis & constitutionis. In forma pulveris sæpissime dari solet, sed et in aliis formis efficax reperta est. Ita apud auctores & in pharmacopœis occurrunt nominatim: *extractum*, *infusum*, *acetum*, *oxymel* & *syrupus* Belladonnæ, quorum modo hoc, modo illud ad rem optime conduxit. Ex his vero præparatis extractum aquosum foliorum & radicis, quod in quibusdam pharmacopœis insertum est, — excepto forsan illo Pharmacopœæ Borussicæ absque defæcatione parato — ex ipso parandi modo minus efficax videtur, quamquam non desunt apud auctores exempla, quod a  $\frac{1}{2}$  — 2 vel plura grana, in forma pulveris, pilularum aut mixturæ datum, efficax compertum est. Externe adhibetur herba siccata aut pulverata, ad fomentationes & cataplasmata sicca vel humida.

Si omnes, quibus adhibita est Belladonna, enumerandi essent morbi, tota fere pervaganda esset nosologia; haud facile quemquam enim nominaveris morbum, contra quem hanc medicinam non sint experti. Hoc factum esse minus considerate, adeoque minus successisse, vix monendum est; nam ex determinato ejus agendi modo a priori etiam sequitur, ut fere exclusive iis tantum morbis conveniat, in quibus systemata nervosa aut lymphatica imprimis affecta sunt. Ad hos ego morbos me igitur restringam, omnes ceteros prætermittens, — sic etiam *febres intermittentes* y,) *typhum petechiale*

y) V. Michaëlis in Hufel. Journ. d. prakt. A. W. Bd. XXXIV. St. 2. pag. 12. Heckers Kunst zu hellen. 1 Th. p. 186, 396 &c.



pestem z), rheumatismum, arthritidem &c. contra quos cum successu usurpatam voluerunt, sed quibus præstantiora forsân remedia adhibenda habemus.

Morbi, adversus quos præcipue efficax fuit Belladonna, hi sunt:

*Hydrophobia.* In hoc morbo adhibita est Belladonna, partim ut prævertantur morsus effectus, partim ut tollantur, cum revera adsunt. Ut prius fiat, ex præscripto *Münchii* danda sunt radicis pulveratæ solius vel una cum rheo infantibus, unum ad sex annos natis, grana 1 ad 5, et adultis usque ad 15 grana, 48 horarum intervallo; sudorem profusum & foetidum, qui tum demum erumpere solet, promovere necesse est decubitu & potibus tepidis. Hanc methodum diu secuti sunt, sed recentiori tempore commodius duxerunt, Belladonnam cum aliis efficacibus stimulantibus conjungere, quo vis ejus partim adjuvaretur, partim ut prævertantur malæ illæ accidentiæ, quæ sæpius ex dicta methodo proveniunt, curamque impediunt. Nunc igitur temporis conjuncta cum moscho, opio &c. datur initio in dosi gr.  $\frac{1}{2}$  ad 1 singula aut, secunda quaque hora; postea vero dosis augetur, paulatim ad 3, 4 vel 6 gr. Hoc modo adhibitæ usus — si eo eruptio morbi præveniendâ sit — plures hebdomadas continuandus est, intervallis initio brevioribus, deinde vero longioribus, dum interea adsit commoda vulneris chirurgica tractatio. Ad morbum vero, cum jam erupit, curandum, eodem modo adhibetur, sed in majoribus dosibus, brevioribusque intervallis. Inter casus, qui efficaciam Belladonnæ adversus jam formatam hydro-

---

z) Vide Allg. Litt. Zeitung A:o 1788, N:o 10. Läk. och Naturforskaren. Band. IX.

phobiam probant, præcipui sunt, quos memorant *Buchholz a)* & *Sauter b)*, qui ea perfectam effecerunt curam. Si vera sit Hujus observatio, hydrophobiam in paroxysmis suis typum tertianæ exacte servare, methodus ejusdem & *Munchii*, qua datur Belladonna sola & in magnis dosibus, hora quaque 48:a ad vel paullo ante initium paroxysmi, præferenda esse videtur nunc usitatæ, qua datur in parvis & sæpe repetitis dosibus una cum medicamentis, quæ fortassis effectum ejus tollunt.

*Melancholia & Mania.* Vis Belladonnæ in hydrophobiæ medendo ansam dedit ad usum ejus in his morbis, atque experientia demonstravit, eandem adversus hos non carere efficacia. Pulvis foliorum cum radice rhei ad grana duo vel tria, vel radice ad granum unicum initio, ascendendo ad grana sex aut octo, his in morbis exhibetur. Secundum consentaneam *Heckeri*, *Jahn* plurimumque experientiam, Belladonna eximia est efficacia contra eam melancholiam, quæ oritur ex suppressione evacuationum sanguinis solitarum vel necessariarum, exanthematibus retrogressis, obstructionibus viscerum abdominalium, atque ex prædispositione hysterica vel hypochondriaca. Ad curam manix radicalem minus efficax fuit, sed ad morbum ita levandum, ut impetus ejus insigniter minuantur, valde utilem reperierunt *Greding c)* & *Ludwig d)*. Hic radicem Belladonnæ imprimis efficacem expertus est in vesaniis, quæ ex metastasibus & nimia animi contentione proficiscuntur.

*Epilepsia.* Insigne levamen hujus morbi ex Belladonna

---

a) Huf. Journ. Bd. V. St. 1.

b) Huf. Journ. Bd. XI: St. 1. p. 118.

c) In Ludwigi Advers. Pract. Vol. 1. P. 4. p. 637, sequ.

d) Diss. de Belladonna, ejusque usu in Vesania. Jenæ 1789.

sæpenumero observatum fuit; complures casus, in quibus Belladonna contra hunc morbum feliciter usi sunt, afferunt *Münch*, *Stoll*, *Greding*, *Jahn*. Caussam, cur interdum minus felices effectus ediderit, magis in ægroto, quam in remedio latere credit *Jahn*. Tempore posteriore eam cum fructu in epilepsia usurparunt *Starke*, *von Hoven*, *Hufeland*, *Käufer*, cet. *Stoll* extracto usus est in dosi initio tantum unius grani; *Münch* & *Jahn* usi sunt herba in dosi gr. 5, quæ postea aucta fuit. — Etiam *Choræ Sti Viti*, imprimis ex vehementi nervorum affectione profecta, Belladonnæ ope curata est.

*Pertussis*. Pauca sunt remedia, quorum efficacia contra hunc morbum tam comprobata fuit, quam Belladonnæ, quare haud facile intelligitur, cur tam pretiosum remedium morbi tam vulgaris tenacisque, non majore studio receptum atque usurpatum fuerit. *Schæffer* e) primus utilitatem Belladonnæ in pertussi ostendit, et plures medici recentiores, quorum sufficiat nominare *Berg*, *Ettmüller*, *Ludwig*, *Wetzler* f), *Wiedemann* g), *Hufeland* h), *Hecker* & *Jahn* experientiam ejus comprobant; horum omnium consensu Belladonna fere pro specifico adversus hunc morbum esset habenda. *Schæffer* statim post emeticum Belladonnam dedit & *Wetzler*, qui in pertussi epidemica Augustæ Vindelicorum A:o 1810, infantes 30 ope radicis Belladonnæ intra diem 8:um ad 14:um ad salutem re-

## B

---

e) *Huf. Journ.* Bd. VI. St. 2. p. 258. & *Die Zeit-und Volks-Krankheiten der Jahre 1806 und 1807 in und um Regensburg.* 1808.

f) *Huf. Journ.* XXII: St. 1. p. 58.

g) *Ejusd. Journal* Bd. XXXIV: St. 5. pag. 13.

h) *Salzburg, Medic. Chir. Zeitung*, T. IV. 1810. p. 346.

duxit, eandem dedit in dosi  $\frac{1}{4}$ — $1\frac{1}{2}$  gr. infantibus 1 ad 4 vel 6 annos natis, quæ dosis post triduum vel quatrimum ita aucta fuit, ut maxima pro infante natu minimo gr.  $\frac{1}{2}$ . & pro maximo gr. 3 intra horas 24 fuerit. Quamquam tempus ad Belladonnam in hoc morbo adhibendam maxime opportunum est a 14:0 ad 20:00m diem, quatuor tamen afferi casus, in quibus Belladonna ab initio adhibita, morbum intra vicesimum diem depulit, quod, saltem respectu hujus remedii, refellere videtur opinionem *Hufelandi* aliorumque quorundam medicorum, pertussim non nisi post integrum mensem posse curari. Simplicitas hujus methodi, facilis ejus applicatio etiam in pauperrimo, exiguumque ægroti fastidium dignam reddere videntur, quæ a medicis magis generaliter tentetur atque admittatur.

*Paralyses.* In *hemiplegia* cum usu adhibita est Belladonna a *Schmucker* i) & *Evers*; in *paralysi linguæ* a *Selle*. Maxime vero profuit in *amaurosi*, imprimis in ea, quæ in gravidis occurrit, in qua post venæsectiones & evacuationes alvi sufficientes cum successu usurpata est a *Jahn* &c.

*Jcterus & Scrophulæ.* In his morbis aliquoties vim suam exseruit Belladonna. *Greding* k) varios memorat casus icteri, tam inveterati, quam recentis, in quibus hocce successit remedium. Imprimis autem laudatur in scrophulis l), & ut perhibent *Hufeland* & *Consbruch*, valde efficacem se præbuit

i) *Vermischte Chir. Schriften* 1 Bd. 1776.

k) In *Ludwigi Advers.* Vol. 2. P. 2. p. 314. sequ.

l) Præcipue commendant *Hufeland* & *Consbruch* oxymel Belladonnæ sequenti modo paratum:

Rec. Aceti Belladonnæ libram semis

Mellis despumati libram

Misce & in lebetæ stanneo coque ad mellis liquidi spissitudinem. Datur dosis successivis pro ratione ætatis diversis. Conf. *Hufeland*: über die Na-

adversus ulcera callosa tenacia, tumores obstinatos, fere scirrhosos & morbos convulsivos e scrophulis oriundos.

*Morbi venerei.* Boettcher, medicus Regiomontanus, ulcera phagadænica sine inflammatione in faucibus & genitalibus usu interno pulveris Belladonnæ una cum hydrarg. dulci, brevi propulit.

*Scirrhus & cancer.* Jam ad finem sæculi 17:mi radix & folia Belladonnæ, ut arcanum in his morbis externe adhibita sunt, & fructus, quem ex usu ejus hoc modo applicatæ perceperunt, occasionem ea interne utendi cito præbuit. Plures tam antiquiores, quam recentiores auctores, ut Junckerus m), Timmermannus n), Lambergen o), Oettinger p), Münch q), Ludw. wig r), Lentin s), Cullen, Hecker, Jahn &c. frequentes afferunt observationes, quæ hanc ejus vim demonstrant. Conjuncta cum Antimonio, Arsenico, Hydrargyro & Rheo utilitatem attulit tam in cancro labiorum & indurationibus scir

---

tur, Erkentoiss und Heilart der SkrofelKrankheit. Jena. 1795, & Consbruch, Klinisches Taschenbuch. Th. 2. pag. 276.

m) Consp. Therap. gen. Ed. 1725 p. 491.

n) V. Th. G. Timmermanni Progr. de Belladonna. Rintel. 1765.

o) Lect. inaug. sistens ephemeridem persanati carcinomatis, Gröning. 1754.

p) l. c.

q) Hannöver. Magazin 1767 &c.

r) Comment. de rebus in medicina & scient. nat. gestis Bd. VIII. p. 654.

s) Beiträge zur Ausüb. A. W. III. Bd. p. 216. & Beobachtung

rhosis ventriculi & intestinorum, quam in scirrho & cancro uteri & mammarum, in quo posteriore imprimis efficax fuit. In his vero morbis forsitan magis insigne affert levamen, quam curam efficit radicalem, quamquam apud auctores multi occurrant casus, in quibus perfecta morbi curatio ex ea effecta est. Non desunt quidem exempla, Belladonnam in his morbis aliquando sine fructu esse adhibitam t), sed cum hæc pauca sint ratione eorum, quæ sunt contra, ab usu continuando hujus remedii efficacis in morbis tam gravibus vulgaribusque, quam scirrho & cancro, detertere non debent.

*Scarlatina.* Tamquam remedium prophylacticum certum & fallere nescium contra hunc morbum Belladonna commendata est ab *Hahnemann*; experimenta ejus cum successu repetita sunt a pluribus medicis u), atque maxime commendatur

---

einiger Krankheiten &c. Götting. 1774. Belladonna scirrhis mammae muliebris medendis ita usus est, ut ejusdem granum cum rhei granis XV omni vespere dedit, intermixtis omni quinto die emeticis. —

t) V. Murray l. c. p. 436 & 7.

u) V. *Schenck* in *Huf. Journ.* Bd. XXXIV. St. 5. p. 119. Methodum, quam ei suppeditavit *Hahnemann*, qua ei contigit homines 522 ex 525 illis, qui ea usi sunt, a *Scarlatina* defendere, sequentibus memorat verbis: — — — — 3 gran Extr. Belladonnæ durch sorgfälliges Reiben in einer kleinen Reibschale bei allmählichen Zugießen in einer Unze einfachen destillirten Wasser aufzulösen, diese Auflösung zu einer Mischung aus einer Unze destillirtem Wasser und einer Unze gereinigtem Weingeiste bereitet, zu giessen, so dass das Ganze drei Unzen Flüssigkeit betrüge, es wohl umzuschütteln und sich demnächst setzen zu lassen. Von dem Hellen sollte ich einen einzigen Tropfen in eine Flasche, worin drei Unzen simples destillirtes Wasser und eine Unze rectificirtes Weingeist enthalten wäre, tröpfeln und es tüchtig umschütteln. Dieses letzere wäre zum Einnehmen, so dass ein kleines Kind bis zu 9 Jahren einen einzigen Tropfen, Personen über dieses Alter aber 2 Tropfen auf etwas wenigem Zucker alle 4 Tage einmahl einnehmen müssten, also 2 Tage frei halten, wo sie nichts nahmen. Die Kinder müssten dabei vor Schrecken, Ärgermiss und

a *Hufeland*, tamquam ulterius imitanda. Præparatum, quod *Hahnemann* usurpavit & recommendavit, est solutio extracti Belladonnæ, quæ in una gutta continet circa  $\frac{1}{24.000.000}$  unius grani succi inspissati Belladonnæ, ex qua pro ætate guttæ 2 ad 40 hora quaque 72:â dari debentur. Etiam si dynamiam agendi rationem admittamus, haud facile tamen concipimus remedium quoddam in dosi tam infinite parva efficax v), quamquam negari nequeat, Belladonnam in majore dosi adhibitam, per vim suam sudorem movendi, id efficere posse, ut a dicto morbo defendat.

Externe herba Belladonnæ adhibita est ad cataplasmata, fomentationes & gargarismata, atque hoc modo usurpata efficax fuit ad resolvendos tumores scirrhosos atque etiam cancerosos & eas affectiones oris, faucium & glandularum colli, quæ sæpe ex scarlatina aliisque morbis oriuntur. A chirurgis recentioribus solutio extracti Belladonnæ usurpata est, qua oculus præparetur ad operationem cataractæ per keratonyxidem; ad quem usum, æque ac ad explorandam adhæSIONem cataractæ ad iridem, haud mediocrem meruit laudem.

---

äusserlicher Beschädigung in Acht genommen werden, sonst aber leben wie in gewöhnlichen Tagen, die freie Luft wie sonst, aber wohlbekleidet, geniessen, und essen was die Wirthschaft mit sich brächte. Conf. Svenska Läkart Sällsk. Handlingar Bd. 3. p. 36. & Huf. Journ. Bd. XIX St. 2. p. 136. ubi *Spæun* methodum suam Belladonnæ hunc in finem adhibendi hisce descripsit verbis: Ich liess 1—2 gr. Extr. Belladonnæ in einer halben Unze destill. Wasser auflösen; von dieser Auflösung bekam jedes Kind täglich 2 bis 3 mahl 1 Tropfen mit 10 Tropfen Brunnenwasser — — — und ich hatte das Vergnügen, dass kein einziges dieser Kinder angesteckt wurde, und die Krankheit aufhörte.

v) Conf. *Hahnemann* über die Kraft kleiner Gaben der Arzneien überhaupt und der Belladonna insbesondere, in *Huf. Journ.* Bd. XIII. St. 2 p. 152.

---